

Quis nec in auctores sacros immitius unquam,
 Nec flammis ullum dignius exstat opus.
 Quos tamen hei! lector toties conquirat, ut amens
 Arida vipereo nectare labra riget.
 Parva queror, tantæ adduntur convicia culpæ,
 Ne careat numeris scena profana suis.
 Amramidæ Mosi tribuunt Æsopica monstra,
 Egeriæ monitus, Machumetisque dolos.
 Josua fit prædo, Salomon præceptor amandi,
 Vel gelidos urat Ruth peregrina senes.
 Jessaëus vates spirans crudeliter iras
 Dira Lycambeæ carmina lege canit.
 Plura jacet turbæ vesania summa procacis
 Crimina, carminibus non repetenda meis.
 Temet, Christe, scopum palo suspendit acuto,
 In quem livoris tela cruenta volent.
 Ab! miser, ab! rursus te Mors circumvolat atra!
 Ab! cruce bis pendes crimen onusque pigra!
 Totus eras unum quomdam per corpora vulnus,
 Ecce tibi obducto vulnere vulnus biat!
 Quo caput inclinas pendens? quo brachia tendis,
 Oscula & amplexus forte daturus adbuc?
 Oscula & amplexus vident, fera præmia reddunt:
 Ab! caput, ab! retro brachia blanda geras.
 Faucibus & flammis levius metuenda Chimæra est,
 Quam spuro & linguis sibila turba suis.
 Et cupiat quisquam cæli convexa tueri,
 Cum ferat ipse poli Rex probra tanta solo!